DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRG. DEIPARÆ, ET S. LUCÆ ORTHODOX. MEDIC. PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA MANE DISCUTIENDA

IN PUBLICIS MEDICORUM SCHOLIS CELEBERRIMÆ CADOM. ACADEMIÆ.

MAG. JOANNE BAPT. CALLARD DE LA DUCQUERIE, ORDINARIO SCHOLÆ PROFESSORE MODERATORE.

35.

Utrum Anorexiæ venæſectio?

MATERIA, ex qua hominis corpus efformatum eſt, adeo fluxilis & diſſiliens, ut eodem ferè tempore, quo vita in actum prorumpit, eodem etiam & illa fatis cederet, niſi fomentis continuis & ſuccendiculis illius jacturæ & detrimenta reſarcirentur. Hac ratione benigna parens natura cunctis animantibus, quæ ad uſuram vitæ neceſſaria ſunt, largita, illorum non minus conſervationi quàm propagationi maximâ ſollicitudine invigilat. Inter partes, quæ alimentorum, totius causâ elaborationi incumbunt, haud infimum tenet locum ventriculus, qui tanquam promus condus & commune promptuarium, nutrimenta ſuo ſinu complexa, humore ſalivali delibuta, ingenita vi conficit; ut inde Chylus per inteſtinorum mæandros devolutus, ad vaſa lactea, eorumque receptaculum multiplici concurſu deducatur; unde per Thoracicos canales in ſubclavias, tandemque cordis lares ſubire cogitur, ex quo tanquam uberrimo caloris & vitæ fomite, cunctarum corporis partium alimonia ſublevatur. Verùm dum illud commercium intercipitur, ea perit ὑλομελία jam partes deficiente jugi illa συῤῥοῇ κενώσεως vi preſſæ à vicinis, uberiùs hæ ab aliis prolectant, donec ad priorem coquum pertingat inopiæ ſenſus, & λιμὸς, quâ animal percitum καθ' ὁρμὴν τροφὴν idoneam ſibi undique venatur.

FAMES ſeu ὄρεξις duplex eſt, Naturalis una ſanis communis, altera contra Naturam, quæ vel imminuitur in δυσορεξίᾳ, vel depravatur in fame caninâ & picâ, vel aboletur in ἀνορεξίᾳ quæ ἀσιτίας, ἀποσιτίαν & ἄσην continet; illa ſymptoma eſt actionis ventriculi, appetentiæ nempe læſæ, ita ut alimentorum deſiderio non teneatur, eadem verò in ἀποσιτίᾳ cum faſtidio reſpuat, in ἄσῃ adſit jactatio, inquietudo, omnis ſitus & figuræ impatientia. Horrenda itaque adverſus omnia, quæ afferuntur, ἀπόσιτοι fœtura eſt cujuſdam pravæ διαθέσεως in orificio ventriculi ſuperiore: verùm non ſufficit partis affectæ διαγνώσει ad ideam morbi conſtituendam, ſed operæpretium eſt affectuum indolem ex propriis cauſis expiſcari; χωρὶς γὰρ, inquit Galen. διαθέσεων εὑρεθῆναι τῆς γαστρὸς ὑπορξαι τῶν βοηθημάτων ἀδύνατον. Proxima magiſque familiaris hujus affectûs cæterorumque, qui cum ipſo cohærent, non aliunde repetenda, quàm ex præfervidâ ejuſdem Stomachi δυσκρασίᾳ. Hanc plerumque fovet aut procreat luctator ille doloſus, largiores epulæ, condimenta gulæ, ſalſa, piperata, quæ quamvis proſtratam appetentiam ad tempus erigant, ea tamen largiùs quam par eſt aſſumpta & diutiùs, cauſam ingeminant ac ventriculi phlogoſim accendunt.

NON mirum, ſi ex tam vitioſo fundo tam pernicioſa ſymptomatum ſeges emergat, ὥσπερ τοῖσι δένδροισιν ἡ γῆ, οὕτω τοῖσι ζώοισιν ἡ γαστήρ: ut enim ex infœcundâ terrâ herbæ fruticeſque ægrè adoleſcunt & marcidæ contabeſcunt, ita & ventriculo malè morato, totam œconomiam naturalem labaſcere neceſſum eſt, ἢ κοιλίης νάρκωσις, ἢ τῶν ἄλλων σύγχυσις, ἢ τῶν αἰτίων ἀκαθαρσίη; quod quidem aliàs verum eſt, tum potiſſimùm ubi incendio flagrat ventriculus; exæſtuans enim chylum intemperatum ac nidorulentum cudit, quæ labes adeò altè cæteris coctionibus inuſta manet, ut pravus & nutritioni minùs commodus ſuccus per corporis habitum ſpargatur, aut in priore latice ceſpitans accendatur, & putreſcat, ac prout ἀναῤῥόπως aut καταῤῥόπως evadit, variæ in variis partibus ſeditiones excitantur, jactatio nimirum ἄλυσμος ναυτώδης, vomitus bilioſus, pravæ dejectiones, unde Hipp. ἐς μόκοιλοι ψυχρόσαρκοι, καὶ λεπτοὶ, ὅτι ἐπίβλεβοι καὶ ὀξυθυμέτροις; his denique accedit obſcurus ſed moleſtus viſcerum κρέμασμος, cujus ratione viſcera ſuſpendi identidem conculcant ęgrotantes, collapſo ſiquidem ſtomachi habitu, qui viſceribus eſt fulcri cujuſdam loco, eádem ex diaphragmate propendentia magis ponderare ſentiuntur.

EX eâ ſymptomatum congerie colligere eſt, quantum periculi immineat, quod quidem eò majus eſt, quò propiùs ad extremos ipſius ἀποσιτίας terminos pervenerit ægrotans, ut quando non modò nihil appetit, ſed prætereà nihil tranſglutit & ad omnia nauſeat. Ratione etiam partis affectæ minimè contemnendus eſt morbus, ſine cujus officio vita carere non poteſt, velut ratione intemperiei calidæ & ſiccæ, quæ οἷον γῆρας ἐστὶν ἐπὶ τῶν ὑγιαινόντων τοιοῦτον ἡ ξηρὰ δυσκρασία τοῖσι νοσοῦσι: Maturè ideo & ſeriò huic pathemati occurrendum: calida & ſicca intemperies, cujus dominatu tenetur ventriculus, ſupprimenda & extinguenda victus ratione refrigerante & humectante; etenim ἅπασα ἀμετρία διὰ τῆς ἐναντίας ἰᾶται impreſſa parti affectæ labes à ſalſis & piperatis calidioribus caſtiganda juſculis lactuâ, portulacâ, & cichorio medicatis, bacchi faces cum lympharum laticibus commutandæ, ptiſanæ potiſſimùm, utpote καὶ ἐμψύξαι καὶ ὑγρᾶναι καὶ ἄδιψον φυλάξαι τὸν ἄνθρωπον ἱκανῆς, quin imò tum potus, tum cibi, citri, vitrioli, aut ſulphuris gratâ acciditate acuēdi ſunt, verùm copioſior eorū uſus ſuſpectus eſſe debet, ob ſiccitatem quam inducūt, ſomnus nec brevior propter viriū effœminationē, nec longior, ne nimia fiat caloris ἐπανάκλησις, procul faceſſant corporis & animi motus nimij, ὅκου γὰρ λιμὸς οὐ δεῖ πονεῖν.

CÆTERUM quanvis Galen. τοὺς ἀκολάστους οἰνοφλυγάς τε καὶ γαστριμάργους, quòd maximam humorū ſoleant coacervare copiam ſanguinis miſſione non magnoperè juvari aſſeveret, nihilominus tamen tanti præſidij neceſſitas, ex eo patet, quod gravis illa ἀνορεξία ſymptoma ſit διαθέσεως cujuſdam φλογώδους, quâ incandeſcit os ſuperius ventriculi cum partibus adjacentibus; cujus quidem φλεγμασίας & cæterarum, teſte Hipp. potentiſſimum eſt remedium phlebotomia: ſanguis tamen non ἀθρόως ſed per ἐπ' ἀφαίρεσιν pro modulo virium educendus eſt, ἐλέγχει γὰρ τὴν φύσιν τὸ ἄθροον, quod paulatim fit tutius contrariam inducit, mutationem; dumque putris & calidus humor liberiùs in vaſis expatiatur, non modo crebro ventilatur & tranſpirat, optatumque viſceribus nutritiis refrigerium comparatur: ſed inſuper periodicum humorum affluxum, quo ſyſtrophica partium inflammatio fovetur, alio dato itinere revellit; hujus ope impurior ſanguis circa ventriculum reſtagnans in artuum venas remigrat, quibus ſubinde foras extrahitur. At verò quod ex ventriculi cacopragiâ ſuccrevit noxij humoris, catharticis reſecandum eſt, verùm blandioribus & per ἐπίκρασιν, ne violentioribus cacochymia in partem affectam ruat; illa ſunt ſiliqua ægyptia, myrobalani, tamarindi & ſyrupus de cichorio in ſero lactis, quod per ſe ardorem contemperat, publicas & primas vias expurgat, huc etiam ſpectant enemata refrigerantia, per totum morbi decurſum frequentiùs injicienda, ut ventris ſignities & æſtus emendetur.

Ergo Anorexiæ venæſectio.

Has Theſes proponebat FRANCISCUS POITOU, *Virienſis, Artium Magiſter, die Auguſti, ab octavâ ad meridiem.* A. R. S. H. M. DC. LXXIV.

CADOMI, Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.